R. P. ERNRICI PIRHING S. J.

DOCTRINA SS. CANONUM

In Compendium redacta.

num. 48. cax. 4. num. 12. 8

SYNOPSIS
PIRHINGIANA
SEU COMPENDIARIA
SS. CANONUM
DOCTRINA,

EX FUSIORIBUS QUINQUE TOMIS

R. P. ERNRICI PIRHING,

Societatis Jeſu, SS. Canonum in Catholica Epiſco-
pali Academia Dilingana Profeſſoris emeriti,

IN UNUM VOLUMEN REDACTA

AB ALIO EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO:

HAC EDITIONE,

Sublatis non paucis mendis, magna cura emendata, illuſtrata, & tum aliis additamentis, tum novo rerum Indice aucta.

VENETIIS, MDCCXI.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

BIBLIOPOLA
Benevolo Lectori.

NOn parùm utilem juris Pontificii ſtudioſis operam præſtitit R.P. Ernricus Pirbing S.I. SS. Theologiæ, & S S. Canonum Doctor, dum poſt complures annos tradendo jure Canonico in Alma, & Epiſcopali univerſitate Auguſtana exactos, emeritus, univerſam Sacri juris materiam nova methodo quinque tomis, qui totidem libris Decretalium reſpondent, egregiè explicavit, & publicæ luci dedit. Placuiſſe erudito orbi viri doctiſſimi conatum, dum retenta quidem titulorum, ſed non capitulorum ſerie, omnem unius generis doctrinam ad certa capita revocavit (eorum exemplo, qui tanta cum laude ultimis his ſeculis alias Diſciplinas illuſtrarunt) ſatis docet ingens eorum numerus, qui tam nobile opus non Bibliothecis tantùm ſuis inſerre, ſed ſumma ſedulitate legere dignantur. Quia tamen non eſt cujuſvis, grandiora illa volumina aut emere, aut evolvere; inventus eſt vir, veteranus & ipſe Canonica in Paleſtra pugil, qui maximo omnium bono totam illam quinque tomorum doctrinam ſummo labore in volumen unum redigeret. Cæterùm cùm in prima editione eruditiores multi non pauca deſiderarent, quæ virum illum ſolertiſſimum, annis tamen jam gravem, fugerant, totum propè ad limam revocatum eſt opus: ſublata menda, nec pauca, nec levia: locis pluribus, nec perſpicuis ſatis, nec accuratis, multum lucis, & ordinis additum: citati fontes, ex quibus, qui vellet, plura peteret; nihilque omiſſum eorum, quæ plus huic operi gratiæ, plus lecturis utilitatis afferre poſſe videbantur. Iſta non in ſpeciem dici, facilè agnoſcet, qui hanc editionem cum prima comparaverit: & ſi illa tam multorum orex in Lectorum excitavit, ſpero equidem, hanc avidiùs longè à plurimis expetendam. Vtantur, opto, non pauci libro, qui omnium bono editur, meque excitent, ad rem literiariam, publicaque emolumenta majori indies cura, ac ſtudio juvanda, ac promovenda.

QUÆSTIO I. PROOEMIALIS.

De Variis Juris Acceptionibus, & Diviſionibus.

1 JUs nonnunquam idem dicit, quod juſtum; juſtum autem poteſt ſumi dupliciter. Primò enim omne, quod legibus, & rectæ rationi conforme eſt, juſtum dicitur, aut legitimum; & juſtum, ſive jus taliter acceptum non eſt objectum ſpecialis virtutis; cùm omnis virtus hanc cum legibus, & recta ratione conformitatem obſervet. Secundò ſumitur juſtum pro eo, quod alteri ex *rigoroſa juſtitiæ obligatione* debetur. Quo modo juſtum, eſt objectum ſpecialis, & rigoroſæ juſtitiæ, quæ communiter definitur *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum* (ſive juſtum, ac debitum ad æqualitatem) *cuique tribuendi*.

2 Accipitur nonnunquam jus prout idem eſt ac poteſtas moralis, ſive facultas à legibus conceſſa de re aliqua liberè diſponendi. Juxta quam acceptionem dicitur venditor v. g. jus ſuum transferre in emptorem, hæres in jus teſtatoris ſuccedere, Dominus jure ſuo uti &c. Et juxta hanc acceptionem alius dicitur habere jus proprietatis, diſponendi ſcilicet in proprium commodum: alius habere jus juriſdictionis, diſponendi ſcilicet in commodum ſubditorum: alius habere jus in re, ſive reale, quod rem ita reſpicit, ut, ad quemcunque ea devenerit, ſemper tranſeat cum hoc onere, ut eam perſequi poſſim, apud quemcunque exiſtat: quale eſt jus Dominii directi, aut utilis, jus ſervitutis, jus pignoris &c. alius denique jus ad rem, ſive perſonale, vi cujus non ipſam rem ex contractu v. g. vel quaſi contractu mihi debitam perſequi poſſum, ſed perſonam convenire, quæ mihi ad aliquid *præſtandum* &c. eſt obligata.

3 Nonnunquam accipitur jus prout idem dicit ac locus, ubi judicium exercetur. Ita dicitur aliquis in jus vocari, in jus ambulare, in jure comparere &c. id eſt ad locum, vel in loco judicii. Nonnunquam prout idem dicit, ac ipſa Judicis ſententia. Sic dicitur litigantibus jus dictum, id eſt, ſententia dicta. Nonnunquam prout idem dicit ac juris ſcientia. Quomodo ſumitur, cùm jus definitur *ars boni, & æqui*, vel cùm dicitur *Juriſprudentia eſſe divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia*, id eſt, ſcientia, quæ docet, quid juſtum, & injuſtum ſit, quid ad divinum cultum, & res ſacras, ac profanas; ad Reipublicæ, ac hominum bonum ſpectet. Hæ autem, & ſimiles plures acceptiones, quamvis ſcitu utiles ſint, ne quis ex varia juris acceptione confundatur, potiſſima tamen eſt, quæ vel maximè hic attenditur, Juxta quam

4 Jus accipitur, prout idem dicit ac Lex, quæ eſt regula juſti. Et juxta hanc acceptionem Juriſperiti aliud nonnunquam dicunt jus naturale, aliud jus Gentium, aliud jus poſitivum.

Jus naturale in genere quidem, & latè loquendo, prout hominibus cum brutis commune eſt, aliud non eſt, quàm *ipſe inſtinctus, & propenſio naturæ ſenſitivæ, ad vitæ conſervationem, ad ſpeciei propagationem, &*